



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.39. Concilia Matisconense & Lugdunense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

hujus S. Martyris fundaverat, inclusi. Ve-  
 rum Salonius & Sagittarius ex hoc quo-  
 que carcere elapsi, reliquum vitæ per di-  
 versa loca errantes exegerunt. At eo-  
 rum Ecclesiis alii Episcopi, Vapinci Ari-  
 dius seu Arigijs, & Embroduni Emeri-  
 tus præpositi.

Sæculum VI.  
 A.C. 579.

§. XXXIX.

*Concilia Matisconense & Lugdunense.*

Concilium primum Matisconense quo-  
 que Guntrami Regis jussu anno 581.  
 seu 583. prima die Nov. celebratum. Ad-  
 fuere Episcopi viginti & unus, inter quos  
 Archiepiscopi quatuor Lugdunensis,  
 Viennensis, Senonensis, & Bituricensis  
 eminebant. Septem vero illorum Epi-  
 scoporum in Ecclesia inter Sanctos colun-  
 tur. In hoc Concilio novemdecim Ca-  
 nones conditi, & memoratu magis di-  
 gni sunt sequentes. Clericis prohibetur,  
 ne arma gerant, nec vestitu Sæcularium  
 hominum aut calceamentis incedant.  
 Hanc legem transgredientium pœna sit  
 triginta dierum carcer, atque in pane &  
 aqua jejunium. Judicibus Sæcularibus  
 prohibetur sub pœna Excommunicatio-  
 nis, ne Clericum judicio persequantur,  
 aut vinciri jubeant, excepta criminis  
 causa, puta homicidii, furti, aut male-  
 ficii. Clericis prohibetur ne Confratres  
 Clericos coram Judice Sæculari accusent,  
 aut

to. 5. Conf.  
 p. 966.  
 V. Coimt. 583  
 n. 12.

ibid. n. 43.

c. 5.

c. 8.

Sæculum VI. aut actionem moveant, quod si fecerit  
A. C. 579. Clericus in minoribus ordinibus triginta  
 novem inflictis plagis castigetur, si sit in  
 majoribus triginta dies carcerem sustine-  
 bit. Lites omnes Clericorum ab Epi-  
 scopo, Presbyteris, aut Archidiacono  
 componantur. Clerici omnibus Festis  
 obsequii præstandi causa apud Episcopum  
 sint. A Festo S. Martini usque ad Nati-  
 vitem Domini diebus Lunæ Mercurii  
 & Veneris jejunetur, iisdem diebus Sa-  
 crificium sicut in Quadragesima, idest,  
 Vespere celebretur, & legantur Cano-  
 nes, nequis ignorantiam obtendat. Hoc  
 jejunium solis Clericis fuisse præscriptum  
 creditur, atque origo adventus depre-  
 henditur.

*to. 5. p. 973.* Eodem anno 583. Guntrami vigesi-  
 mo secundo celebratum est Lugduni Con-  
 cilium, quod tertium habetur. Prisco  
 Episcopo Lugdunensi præsidente octo  
 Episcopi & duodecim absentium Legati  
 adfuere. Sex Canones in eo conditi. In  
 secundo monentur Episcopi, ut dum epi-  
 stolas commendatitias captivis dant,  
 diem, & quanto pretio redimantur, cau-  
 te apponant. Episcopis prohibetur, ne  
 extra suas Ecclesias Festa Nativitatis aut  
 Paschatis celebrent, nisi morbo, vel Re-  
 gis Mandato impediuntur. Leprosi cu-  
 juslibet Civitatis & Ditionis illius ex ara-  
 rio Ecclesiæ & cura Episcopi alantur &  
 vestian.

c. 5.

c. 6.

vestiantur, ne cogantur vagari. Hæc <sup>Sæculum VI.</sup>  
 Guntramo regnante acta sunt. <sup>A. C. 579.</sup>

## §. XL.

*Vanum Chilperici Ingenium.*

**R**ex Chilpericus, de rebus ad Religio- <sup>Greg. V.</sup>  
 nem pertinentibus decernere, ultra <sup>hist. c. 45.</sup>  
 quam fas est, præsumens, edito Rescri-  
 pto iussit, ut Sancta Trinitas simpliciter  
 Deus sine Distinctione Personarum ap-  
 pellaretur, quod diceret, indignum esse  
 Deo, ut ipsi nomen Personæ tanquam  
 homini corporeo tribueretur, & affirma-  
 ret, eundem esse Patrem, Filium & Spi-  
 ritum Sanctum. Postquam istud Rescri-  
 ptum coram Gregorio Turonensi recita-  
 ri præcepisset, dixit ad Episcopum: *vo-  
 lo, ut hæc sit Fides vestra, tua nempe &  
 cæterorum, qui in Ecclesiis docetis.* Gre-  
 gorius respondit: *dimitte hanc Fidem,  
 Rex! & illam serva, quam Doctores Apo-  
 stolorum Successores, quales sunt S. Hila-  
 rius & S. Eusebius, nos docuerunt.* (de  
 S. Eusebio Vercellensi loquebatur) *Cre-  
 de, quod ipse in Baptismo confessus es.*  
 Rex iratus dixit: *scio me neminem magis  
 Hilario & Eusebio in hac re habere ad-  
 versarium.* Gregorius: *cave sis, Deum  
 & Sanctos ejus offendas. Non Pater in-  
 carnatus est, nec Spiritus Sanctus, sed  
 Filius. Filius passus est, non Pater, aut  
 Spiritus Sanctus. Hæc vero distinctio*